

ANHANG I.

Widmung der Expositio in Psalterium an Chuno.

Christiano Patri verbó et exemplo relucenti ut speculum, commissum gregem ad pascua vitae per arctum callem ducenti Honorius devotus Christo servientium servus, devotae orationis affectus: quatenus cum apparuit (l. apparuerit?) Princeps Pastorum, super omnia bona domini constituatur in tabernaculis justorum.

Studium tuum, venerande Pater, flagrans in scripturis ardentem, ad opus, quod jubes aggredi, accendit animum meum vehementer: et Cymbam ingenioli mei impellit in pelagus intransnavigabile, sed tamen flatu Spiritus S. ac remis orationum tuarum aliquando transmeabile. Valido siquidem impulsu charitatis urges me subire praeclarum onus fraternae utilitatis, redundantiam videlicet superbae dulcedinis in Psalmis clausam stylo reserare; ac squalenti vase dulcem Spiritus S. potum sitientibus justitiam propinare; quatenus hi, qui Psalmos jugiter ruminant, eximiam superni nectaris suavitatem interiori palato sapiant; ne forte eis coelestia verba ut insipida aqua de ore profluant, aut ut fistulae in organis inanem sonum emittant. Cujus ardui operis, dum penso magnitudinem, perhorresco: dum vero in eo perpendo gratiae plenitudinem, de injuncto munere hilaresco; confidens me omnium orationibus sublevari, qui meo potuerint labore in scripturis adjuvari. Hoc igitur opus nomini tuae dignitatis dedicetur, ac per te utilitati fidelium publicetur.

Pez. thes. II. 97.

ANHANG II.

Über Nanzo aus der Vita Adalberonis.

Quo scismatis laqueo insolubiliter durante, locus ille (Lambach) adeo est depauperatus et attenuatus, ut fratribus servitio Dei insudantibus necessaria penitus deperirent, hospitibus in dies supervenientibus, peregrinis, pauperibus debita humanitatis gratia negaretur. Unde inito unanimi consilio satius ducunt ad tempus a loco elongari quam ulterius inibi contra salutem animae conversari. Paucis itaque ad servitium Dei peragendum et custodiam loci thesaurique ecclesiae deputatis custodibus, reliqui Gotewicum pervenerunt, ibique donec transiret iniquitas et scisma quiesceret, duraverunt.